Ioan. Sarij Zamoscij, Belsensis, & Zamechē-sis Præfecti, ac in Galliā Legati, Oratio:

QVA HENRIC. VALESIVM
Regem renunciat.



LVTETIÆ PARISIORVM.
Ex Officina Federici Morelli Typographi Regij.
M. D. LXXIII.

NOMINA LEGATORVM, AB ORDINIBVS Regni Poloniæ, & magni Ducatus Lituaniæ.

Adam. Conarski de Cobilino, Episcopus Posnaniensis.
Albert. à Lasco, Palatinus Siradiensis,
Ioan. à Tomice, Castellanus Gnesnensis.
Andr. Comes à Gorca, Castellanus Medireciensis, Capitaneus Gnesnensis, & Valcensis.
Ioan. Herburt de Fulstin Castellanus Sanocensis, & Capitaneus Præmisliensis.
Nic. Christophorus Radiuil, Dux de Olica, & Niesuis, Curiæ magni Ducatus Lituaniæ Marschalcus.
Ioan. de Zamoscie, Belsensis, & Zamechensis Capitaneus.
Nic. Firlei de Dambrouiza, Palatini Cracouiensis F. Capitaneus Casimiriensis.
Ioan. à Sborov, Capitaneus Odalanouiensis.
Nic. de Tomice.
Alexand. Pronski Palatini Kiouiensis F.

IOAN. SARII ZAMOSCII, BELSENSIS, ET ZAMECHENSIS PRAEFECTI, AC IN GALLIAM LEGATI, ORATIO:

Qua Henric. Valesium Regem renunciat.

SI AD alium, quàm ad te, summis non modò generis ac fortunæ, sed etiam animi ingeniíque ornamentis præditum, ab ordinibus Poloniæ, ac Lituanię regnum deferremus, HENRICE Princeps Serenissime, pluribus nobis de magnitudine huius muneris, omníque officio regio nunc disserendum, Réxque ipse creatus, ad studium laudis, & cogitationes tanto fastigio dignas suscipiendas, excitandus, atque inflammandus esset. Sed cùm Deus Opt. Max. comitiis Camonensibus, creandi causa Regis habitis, ita studia nostrorum hominum direxerit, vt cum publica salute & dignitate consentirent, quemadmodum te creato Rege, asperitates & difficultates Reipub. nostræ, quasuis iam facilè depelli, & superari posse confidimus, ita nos hoc labore quoque leuatos esse videmus. Superioribus temporibus necessaria hæc fuit legatis, qui ad Reges

aduocandos mittebantur, oratio, cùm benemeritorum, de libertate nostra imperióque, Regum filios, patres, maiorésque nostri regnare iubebant. Quod tamen ita feliciter nobis succedebat, vt pietati nostræ erga defunctos Principes, nouorum Principum in Rempub. nostram beneficiis, satisfieret. At nunc quando summus honos hic à nobis non maioribus tuis, sed tibi tributus est, facto adeò eximio, & singulari à nobis de te iudicio, quis locus nobis pluribus verbis, aut admonendi, aut cohortandi, tui relictus est? Quamobrem cùm mihi, & collegis meis hisce Senatoribus amplissimis, & Patriciis nobilissimis, id oneris impositum sit, vt, quemadmodum antè ad Camonum in Polonia, Rex omnibus fauentibus renunciatus es, ita te hîc quoque more institutóque maiorum, in hoc tam augusto loco, tantáque frequentia hominum, Regem renunciemus, abundè me, pro virili, huic muneri satisfecisse arbitrabor, si ante solemnem renunciationem, primùm quibus de causis te ad fastigium regium suffragiis nostris extulerimus: deinde, quale regnum habiturus sis, exposuero: postremò verò, quid homines nostri non tam à te requirant, quàm expectent, breuissimè attigero. Quibus in rebus explicandis, cùm & de te, & de nobis ipsis verba nobis facienda sint, ita orationem meam temperabo, vt nec tuæ grauitatis, quod te præsente hæc dicentur, nec nostri pudoris oblitus, sed de te, pro rei magnitudine modicè, de nobis modestè esse locutus, omnibus meritò videar.

Multa

Multa tibi, HENRICE Princeps, ad regiã potestatem obtinendam, apud nos subsidio esse, ac viam quasi præmunire poterãt, VALESIAE familiæ nulli in terris secundæ dignitas, Gallici nominis splendor, magna commoda, magnæque oportunitates, quæ eiusdem sanguinis, Regibus, apud nos & Gallos imperantibus, ac iis auctoribus, & principibus, societate inter nostros, ac Galliarum populos sancita, nobis accederent: tum æquissimæ propositæ dominandi, & iuris nostri tuendi, & amplificandi, leges, adiectióque vectigalium patrimonij tui. Nonnihil etiam tibi suffragatam esse, posset aliquis existimare, deligendi Regis ex ea gente securitatem, cum qua non modò vniuersis publicè, nulla bella, nullæ offensiones fuerunt, sed vix cuiquam priuatim, tot sæculorum interuallo, vlla controuersia intercessit. Non leuia quidem hæc sunt, Princeps serenissime: sed si quis rem intentis, vt aiunt, oculis, accuratius consideret, ea adiumenta causæ tuæ, non firmamentum fuisse reperiet. Nam primùm, si quæ familia digna fuit honore hoc summo, certè eæ, quæ cum IAGELLONIBVS aliquo sanguinis vinculo coniunctæ fuerunt, nisi præsens rerum status impedisset, dignissimæ erant. Etenim IAGELLONIBVS tantum nos debuisse libenter profitemur, quantum etiam illorum stirpe extincta, ad affinitates possit redundare, quod eorum consiliis, vigilantia, legibus, multas partes Reipub. ab initiis fundamentísque constitutas, ius, & libertatem nostram firmatam,

ſtabilitam, auctam, ac ipſum Imperium, quod à ſuperioribus Regibus acceperant, coniuncta Lituania, recuperata Pruſſia, defenſa Liuonia, duplicatum habemus. Nec iniquo animo feres, HENRICE Princeps, nobilitati domus VALESIORVM, nobilitatem AVSTRIORVM domus æquari, qui ob iuſtæ & moderatæ dominationis laudem, à multis populis expetiti, iam aliquot ætatum interuallo, tot opulentiſſimis, ac potentiſſimis regnis, ac ipſa auguſta Romani imperij dignitate potiantur. Vt Ioan. Moſchorum Principem prætereeam, qui generis ſui claritatem, ex longo, & ab aliquot ſęculis nũquam interrupto ſtemmatum ordine, Græcorúmque etiam Imperatorum imaginibus collectam, morum feritate contaminauit. Quod verò ad nominis Gallici gloriam ſpectat, compertum nobis eſt, hanc, & nunc ſummam eſſe, & in omni memoria ſummam fuiſſe, vt annales non modò veſtri, ſed Græcorum etiam, populi Romani, multarúmque gentium, ac in his & noſtri teſtantur. Scimus Gallos priſcis temporibus, res maximas bellis geſſiſſe, Romanis rerum quondam dominis, ſupra trecentos annos terrori fuiſſe, ac ipſam Romam orbis terrarum imperij ſedem cepiſſe, non modò in Europa, ſed in Aſia etiam tranſmiſſo mari, multos populos deleuiſſe, regna condidiſſe. Scimus item Gallorum arma proximis temporibus illuſtria fuiſſe, & nunc apud eoſdem diſciplinam bellicam, artémque militarem vigere: ſcimus Gallos omni ſapientiæ, pietatis, ac humanitatis

commendatione, iam inde ab initio floruiſſe, nunc verò cum Italia, vnica exquiſitioris eruditionis ac artificij, & cultioris ac humanioris victus parente, de litterarum, ſcientiæ, ac omnis elegantiæ gloria certare: ſcimus integritate, iuſtitia, fide, temperantia, Gallos à nulla gente ſuperari. Omitto alias nationes, quibus tantum vos ipſi tribuitis, quantum homines, qui certam ac firmam fiduciam in virtute ſua collocant, alienæ virtuti tribuere debent. De his tantùm loquar, à quarum Principibus legationes ad comitia noſtra venerant. Vos Germanos fratres veſtros in omni virtute vobis ſimiles, ac propè geminos, vnde nomen optimæ ac fortiſſimæ genti inditum eſt, prædicatis: nos verò eorum ingenia ſtabilia & ſolida, factorum & dictorum conſtantiam, & caſtitatem incorruptam, intrepidorúmque animorum inuictum robur laudamus. Nec Suecum nomen, ab eadem ſtirpe cum Germanico profectum, minoris facimus. Prætereà verò minimè nos rerum geſtarum, ac morum noſtrorũ, & naturæ commendatione diſſuadente, & veritate prohibẽte pœnitet, aut Regi noſtri ſanguinis parere pœnituiſſet, cùm non deſint nobis in Polonia, Lituania, ac Ruſſia noſtra, viri, etſi non regio genere, at regio certè animo, prudentia, fortitudine, innocentia, continentia, omnibúſque belli ac pacis artibus excellentes. In PIASTO ſanè, quanquam non modò nullis honoribus antè vſa, verumetiam ne patricia quidem ex domo, ad faſtigium regium euecto, eiúſque poſte-

ris, qui cùm apud nos annos amplius quingentos regnaſſent, his legibus, ac inſtitutis, quibus ius, libertatem & dignitatem noſtram adhuc tuemur, Rempub. noſtram formarunt, ac longè & latè patens, & opibus, ac gloria florens regnum, quod deinceps IAGELLONIBVS commiſeramus, nobis reliquerunt, apparuit, Polonis, nec in regno gerendo, & adminiſtrando ſcientiam, nec in defendendo, & dilatando animum defuiſſe. Ex Lituania verò non modò à Polonis IAGELLONEM receptum Regem, ſed cùm is in Polonia, magnitudinem animi, moderationémque ingenij ſui nobilitaſſet, filium eius VLADISLAVM, Pannoniorum precibus, ad regnum opulentiſſimum euocatum, ac eiuſdem nepotem VLADISLAVM alterum à Bohemis primùm, deinde Pannoniis exceptum, regna hæc LVDOVICO filio per manus tradidiſſe conſtat. Nam quid ego SIGISMVNDO primo, VLADISLAI fratri, abrogato Chriſtierno imperio, Sueciæ, ac item poſt LVDOVICVM in pręlio cum Turcis cæſum, Pannoniæ & Bohemiæ regna oblata, & ab eo, animo regio repudiata, narrẽ? Quorũ illi populis quibus præfuerunt, æquitatẽ, probitatem, & ingenia decoris auida probarunt: hic verò apud nos, ea fama, ea exiſtimatione regnauit, vt omnium cõſenſu PATER REGVM appellaretur. Poſſem multa de OLGO, poſſem de VLODIMIRO, poſſem de aliis commemorare, quo intelligatur, & Ruſſos noſtros regnandi arte non caruiſſe. ſed non id agimus hoc

loco. Ceterũ Gallia procul omni dubio, tantùm armis, viris, claſſe, magnitudine vectigalium, multitudine fructuum, varietate earum rerum, quæ exportantur, excellit, vt ex ſocietate cum Gallis, te, fratréque tuo, auctore, & duce, icta, æquabilíque ac iuſta commerciorum ratione deſcripta & conſtituta, plurimũ nobis vtilitatis quæratur. Sed ex AVSTRIORVM regnis, ac etiam ex Suecia propter vicinitatem, & celeriora auxilia habuiſſemus, & faciliorem ac expeditiorem negotiationem, mercatores noſtri, illis in regnis habent, vberiorem verò & fructuoſiorem, ſe habituros deinceps ſperabant. Quid verò nobis acerbi, aut iniuſti, ab vllo competitorum tuorum, ad quem voluntates, & ſtudia noſtra conuertiſſemus, timẽdum fuit? Primùm ſinguli veteres noſtras regnandi leges ſeruare pollicebantur, ac alias quæ plurimum dignitatis & ornamenti nobis afferrent, vltro proponebant. Deinde verò nos, vt quas vellemus, iuberemus, quod poteſtatis noſtræ, nobis à maioribus relictæ fuiſſe cernebant, hortabantur, atque in omnes, quas tam publico, quàm priuato de iure, vel iuſſiſſemus, vel antè perlatas haberemus, verbis conceptis iurare non recuſabant. Num igitur in mentem cuiquam venire potuit, vt de fide principum ad ſanctitatem & conſtantiam natorum, religione iureiurandi obſtrictorum, dubitaret? & à miti, & ſedato SVECI ingenio, graue aliquid & violentum metueret? pro perenni, & multis ætatibus tot nobiliſſimorum regnorum populis conteſtata,

AVSTRIORVM pietate, grauitate, continentia, beneficentia: periurium, leuitatem, cupiditatem, iniuriam reformidaret, præsertim verò ab eo, qui non modò ea in familia natus sit, sed ita in ætate ineunte imbuatur & instituatur, vt pręter exempla maiorum & patris sanctissimi, ac cum cęteris virtutibus, ei qui summæ rerum præsit, conuenientibus, tum ipsa benignitate ac clementia insignis, naturæ bonitatem, educatio, ac disciplina corroboret. Nihil item periculi fuit, ne quid noster, cui summum hunc magistratum mandassemus, alienum à legibus institutísque maiorum, abhorrens à libertate propria generis, ac nominis nostri cōmitteret, qui fortuna alternante æquissima ratione parēdi, ac imperandi vices, priusquam in sublimi collocaretur, communi atque eodem cum omnibus iure vsus, & antequam rectè regnandi sensum, imperij dulcedine degustata corrumperet, quæ hominibus libero animo affectis, dominatio grauis & non toleranda, quæ grata & iucunda foret, ipse expertus esset. Iam verò, quod ad vectigalia, fructúsque patrimonij tui attinet, Suecia coniuncta, si rex noster à Meridie, ab Oriente, à Septentrione, littora maris Balthici, ac penè totum sinum Balthicum, ditione complecteretur, quantæ non tantùm priuatorū, verùm & publicorum commodorum facultates, quanta subsidia & adiumenta ærario nostro parabātur? Nam quid ego de Moscouiæ accessione dicam? de congesta multis sæculis gaza, de maximis vectigalibus, de latitudine finium,

de va-

de varietate populorũ, de numero prouinciarum, de multitudine copiarũ, de copia mercium? Quæ communi rege creato, collatis in vnum viribus Poloniæ, Lituaniȩ, Moſchouiȩ, & cõmunicata ciuitate, moles Imperij excitabatur, & condebatur? cuius arma non modò Turcorũ armis opponi potuiſſent, ſed etiam omnes Chriſtiani nominis nationes, in ſpem debilitandæ ac frangendæ, immẽſæ Othomanorum potentiæ, ac recuperandi bellici decoris, amiſſarúmque prouinciarũ erexiſſent. Quæ amplificandi ærarij occaſiones, etſi aliunde nobis oblatæ non fuiſſent, tamen Poloniæ, Lituaniæque ſolum eos fert fructus, eas ſine iniuria priuatorum, inſtituendorum magnorum vectigalium oportunitates reſp. noſtra habet, vt non tam aliena pecunia, quàm ſolerti ac prudenti adminiſtratione & diſpenſatione egeat. Cum Gallis nullæ nobis contentiones, quemadmodum & cauſæ contendendi, tanto terrarum interuallo diſiunctis, fuerunt. Nulla etiam odia. Fuit ſemper mutua beneuolentia, naturæ & morum quadam ſimilitudine conciliata. At ſi quæ ſpes in Gallis, nobis naturæ propenſione fauentibus, collocanda fuit, collocanda quoque fuit in coniunctiſſimis amicis. Tribuenda fides fideliſſimæ Bohemorum amicitiæ, publicis pactionibus ſancitȩ, dandum aliquid originis, ac cõmunis linguȩ vinculo, dandum Lechi & Cechi fratrum, conditorum & principum, huius Bohemici, illius Polonici, Imperiorum, memoriæ. Quid verò de Pannoniis dicam, qui ſuas for-

tunas cum periculis nostris sæpè communicarint, cum quorũ item periculis nos nostras fortunas sæpè communicauimus, nos pro illis, illi pro nobis, se copiis hostium, ac capitis dimicationi, sæpè obiecerint, eáque caritate, altera gens, alteram prosecuta sit, vt in quodã fœdere, ne Pannonij in Polonos, Poloni in Pannonios arma vnquã, etiam regibus auctoribus, ferrent, disertè caueretur: vt omittam Pannonios & Bohemos, iure quodam à nobis eundem honorem, quo nos quondam affecerunt, reposcere visos, vt quemadmodum illi antè ex Polonia Lituaniáque reges quæsiuissent, ita nos fratrem, filium, ac nepotem regum illorum, regem assumeremus. Nihil agam de antiqua Sueciæ, ac Poloniæ Lituaniæque societate, noua, non ita pridem, affinitate regis ipsorum cum rege nostro, nouis ac maximis officiis confirmata. Bellum nobis fuit pro Prussia cum Marianis militibus, cum Henrico quoque quincto Imperatore, Vratislauiẽsibus in campis dimicauimus: verùm hæc bella nec ab insito gentium, à natura, dissidio, quod nullum est, profecta, nec publico Germaniæ imperij decreto suscepta, sed priuatis consiliis, priuatas ob controuersias concitata fuerunt. Ceteroqui nobis vera & perpetua cum Germanis amicitia mansit. Nam quid ego ab Imperatoribus nobiscum icta, & sæpius renouata, sacrosancta fœdera cõmemorem? Quid pactiones amoris & officij plenissimas cum Austria, Bauarica, Brandeburgensi, Stetinensi, Mechelburgensi, primariis

Ger-

Germaniæ familiis? quid affinitates ab Auſtria, Bauarica, Saxonica, Brandeburgenſi, Heſſica, Stetinenſi domo, cum Regibus noſtris contractas? quid beneficia cum Brandeburgenſi, ac Stetinenſi communicata? Quamobrem, HENRICE Princeps, etſi id quicquid nobis ex te vtilitatis, præſidij, ornamenti, accedere poteſt, non contemnimus, & ea quæ in aliis cernebamus, tibi adiũcta eſſe lætamur: tamen non hæc, quæ extra te poſita, nec tam tua quàm fortunæ putanda ſunt, nos ad ſalutem Reipub. nóſque & fortunas noſtras, imperio & fidei tuæ commendandas, mouerunt. Valido per ſe Reipub. noſtræ corpori capite opus fuit: viro, inquam, viro nobis opus fuit. Non te præterit, Princeps sereniſs. magnæ ac excellentis virtutis ſplendorem, ex remotiſſimis etiam regionibus cerni, & melius cerni. Nam quemadmodum ſolis lumen ſi de propinquo ſpectetur, noſtri oculi, propter imbecillitatem ferre non poſſunt, ita ſui excellentem eius virtutem, quem aſſiduè intuentur, quo cum verſantur, inuidia corrupti vix agnoſcunt: & quemadmodum ſol ex longinquo aſpectu pulcher, vt eſt, & amabilis iudicatur: ita virtus ab alienis, quos nec odium, nec vlla animi perturbatio impedit, melius & verius æſtimatur & amatur. Quò fit vt prętantis virtutis, poſtquàm ſuorum inuidiam ſuperarit, fama, facilè diſiunctiſſimas etiam terras pervagetur, ac quò longius progreſſa fuerit, magis vigeat: vt contrà falſa laus à familiarium aſſentatione excitata, ſicut fumus, qui pau-

summodò supra ignē, à quo oritur, attollere se consueuit, eodem loco in quo excitata est, euanescit. Quomodo igitur nos tua incredibilis diuináq; virtus, in tam sublimi pręsertim & illustri loco posita, latêre potuit? In ea nos semper sentētia fuimus omnes Christiani nominis nationes, omnes populos, quasi vna quadam ciuitate contineri. Itaque cùm extremi Christianorum simus, & in perpetua quasi statione & vigilia pro Repub. Christiana excubemus, num censes homines nostros iam inde ab initio de ea, non ad præsens modò, sed in futurum cogitasse? num ab eo tempore quo inclinare cœpit, tum sociorum cladibus, tum suis periculis permotos, qui reges, quo animo, quo consilio, vbiuis Christianis populis imperarent, qui regum liberi, qua indole, quo impetu animi ad gloriā essent, quisnam illorum potissimum, vel ad præsens, vel in posterum, perculsam & magna ex parte prostratam rem Christianorum, recreare & erigere posse videretur, diligenter perquisiuisse? Id cùm vt patres ac maiores nostri, ita nos dies noctésque cogitaremus, & diligenter perquireremus, iam ab aliquot annis, te inter alios reperiebamus, quem natura ad magnitudinem animi, prudentiam, omnésque virtutes magnum hominem & excelsum ediderit. Amisimus regem vltimum IAGELLONIAE stirpis, fortuna imperij nostri, ac Reip. Christianæ, caritas erga patriam, nos in concordia continuit, concordes aduersus externā vim, si quæ afferretur, armauit, pace foris parta, domi pu-

blica

blica execratione, capitis & bonorum cõſecratione, obteſtatione fidei & famæ, more maiorum, ambitui, largitioni, auaritiæ, diſſidiis, fręno impoſito, ſpatium nobis datum eſt, grauiſſimæ deliberationis de ſufficiendo rege explicandæ. Habuimus, vt dixi, generis ac ſanguinis noſtri præſtantes & excellentes viros, qui regno gerendo & adminiſtrando, propter prudentiam, ſapientiam, grauitatem, iuſtitiam, fortitudinem, ſufficere poterant. Cauendum tamen nobis, atque omni cura prouidendum fuit, ne præſenti tantùm ſtatui ac tempori rectè conſuluiſſe, in poſterum verò reip. noſtræ parùm proſpexiſſe videremur. Itaque exemplum periculoſum, quod ciuilem moderationem animorum tollere, cupiditatem dominandi inducere, ad contentiones & ciuilia bella concitare & inflammare poſteritatem noſtram aliquando poſſet, proponere: & ſemina diſcordiæ, quam non modò antiquitùs maxima imperia, quæ nulla vis externa frangere poterat, confeciſſe legimus, verumetiam hac ætate florentiſſima regna, vel attriuiſſe, vel deleuiſſe, magno cum noſtro dolore videmus, iacere noluimus. Moſcho creando libertatem noſtram periclitandam, propter inſitam illi à natura ferociam, non putauimus. IOANNI verò Sueciæ regi tot laboribus, ac aduerſis caſibus fatigato, difficilem adminiſtrationem duorum operoſorũ in primis regnorum, quorum vtriuſque periculorum & negotiorum magnitudo, ne minimo quidem temporis ſpatio, regis ab-

ſentiam pateretur, fore cernebamus. ERNESTVM AVSTRIVM diuinum adoleſcentem, præclarę indolis, ſummæque ſpei iudicauimus, vt eum deinceps magno auxilio & decori rebus Chriſtianis fore, & credamus, & vtilitatis ac dignitatis communis Chriſtianorum cauſa, optemus, verùm eius ætatem ab ætate regali remotam vidimus. Etſi verò non longè remotam, tamen reputantibus humanos caſus, & varios ac incertos euentus, obiectis plurimis hoſtibus, ſuperſtitione impiis, crudelitate barbaris, multitudine & firmitate copiarum potentiſſimis, vel breue tempus nimium longum, grauéque ac periculoſum videri debuit. Te, HENRICE Princeps, ſolum, omnibus rebus, quæ ſummum atq; perfectũ Regem efficerent, atque in primis probata & nobilitata virtute ornatum, te huic prouinciæ, ac tempori, diuino conſilio deſtinatum agnoſcebamus. Fundamentum omnium regnorum religio eſt. Idcirco enim ſummus Pater atque effector naturæ, regna condidit, & quanquam ſuæ poteſtatis non parum regibus impertit, ipſe tamen nutu atque poteſtate ſua, Reges & regna regit & tuetur, vt in iis purus illius ac verus cultus vigeat & conſeruetur. Itaque primùm Rege nobis opus fuit, qui ſtudio & exemplo ſuo pietatem hominibus commendaret, præpotenti Deo aſſiduè cultum, honorem, preces adhiberet, eius voluntati obediret, eum inſpectorem omnium, non modò factorum, ſed cogitationum ſuarum metueret, largitorem omnium commodorum veneraretur. Te in

omni

omni officio pietatis tuendo, diligentissimum & castissimum sciebamus: te cum fratre tuo rege Christianissimo, plurimum solicitudinis, plurimum curę posuisse, & suscepisse, maximos & grauissimos labores subiisse & exantlasse, vt controuersiæ de Deo eiúsque cultu, atque æterna illa fœlicitate, postquam hoc mortali corpore exuti fuerimus, consequenda, doctorum hominũ disputationibus excitatæ componi, & vetusta religio, Christi Dei nuncio sancita, non tam vi & armis, quàm auctoritatis scriptorum diuinorum, & præceptorum, ac doctrinæ à sanctis Apostolis traditæ, & acceptæ, pondere fulciri & stabiliri posset: perficíque potuisse à vobis, pace, otio, ac sine effusione sanguinis opus maximum, & omnibus sæculis memorandum, nisi aut insolentia, & ambitio quorundam, aut occulta fatorum necessitas, offenso & irato numine, partes ad arma ciuilia, & intestina bella impulisset. Eum cui maximum imperium, multorum hominum salus, ac summa rerum committatur, cautum esse in omni actione suscipienda, multa antè animo prospicere oportet. Prudente igitur rege opus habuimus. Te quantum in discernendis commodis & incommodis intelligentia, futuris prouidendis consilio, ac in omni re expedienda, agẽdáque, industria valeres, grauissimis temporibus, ac formidolosissimis tempestatibus, quæ familiam tuam, vniuersamque Galliam, ab ineunte tua, fratrúmque tuorum, ætate, exercuerunt, declarasse compertum nobis fuit. Quòd, in iis depellen-

dis & ſuperandis, frater tuus Rex Chriſtianiſſimus, te omnium rerum, ac conſiliorum, participe, adiutore, & adminiſtro vſus ſit. Regibus creandis, ab omnibus populis, æquabile ius quæſitum ſemper fuit, vt non modò Rex ipſe iniuriam non inferret, verumetiam iniurias potentiorum, à tenuioribus arceret. Rege igitur iuſto opus habuimus. Te æquitatis ſemper ſtudioſiſſimũ fuiſſe, nihil vnquam auarè, nihil libidinosè feciſſe noueramus. Nec modò ſuorum, à ſuis iniurias prohibere Regem neceſſe eſt, ſed multo magis externam vim propulſare, ac potiſſimùm regnantem apud eos, quorum legibus rex ſummam imperij militaris teneat. Rege igitur magno animo, & ſcientia, ac vſu rei militaris præſtante, opus habuimus. Latere nos non potuit, id quod vix vllam in orbe terrarum gentem lateat, te inteſtino Galliæ bello, maximo & grauiſſimo, extrema pueritia, fraternarum copiarum ducem, ea ætate, qua aliis vix caſtra videre accidit, cum hoſtibus ſignis collatis dimicaſſe, eos acie ſuperaſſe, ac in adminiſtrando imperio militari, ad hoc vſque tempus, nullis periculis, nullis laboribus frangi potuiſſe, nunquam te à rebus conſtituendis, maturandis, agendis, non modo amœnitatem, aut voluptatem, ſed ne quietem quidem, ac famem, ſitimque, auocaſſe, nihil accidiſſe quod non ipſe obires, occurreres, vigilares, tuáque maximè opera, antiquiſſimum Galliarum regnum, vitam, fortunáſque ciuium conſeruatas. Liberis in populis Reges vtilitatis ciuium cauſa cõſtituuntur,

qua-

quapropter Rex commodis & ornamentis ciuium, tum publicè, tum priuatim consulere, nihil in quenquam insolentius, iracundius, acerbius committere debet. Rege igitur Reipub. amante, benefico, ac clemente opus habuimus. Te singulari erga patriam caritate, summa liberalitate in tuos, mitissimóque ac lenissimo ingenio præditum audiuimus, qui diuitias tuas, non tam tuas, quàm Reipub. ac illorum, quos periculorum ac laborum tuorum participes vlla ex parte habuisti, duxeris, qui te comem ac facilem omnibus semper præbueris, iram perturbatricem rationis cohibueris, qui ciues aduersus regem arma ferentes non punire, sed illi, patriæque reconciliare studueris, qui nullum ex ciuibus, nisi qui armatus in acie stetisset, pro hoste habueris, cuius opera nullus ciuium, nisi in prælio, occiderit. Quid verò agam de tua grauitate, fide, cõstantia, continentia, & reliquis virtutibus, quas omnes penitus cõprehenderis? Has igitur ob tuas virtutes, HENRICE Princeps, non potentiũ hominum studio, aut excellentibus paucorum gratiis, quæ in tanta multitudine, libertate, & integritate eorum, qui suffragia ferrent, satis ad eam rem momenti nunquam attulissent, sed omnium populorum, ac regionum, in quas regnum nostrum descriptum est, omniúmque hominũ, vna propè voce, te Regem dictum scito. Nihil nos longinquitas itineris, nec difficultates, quæ proponebãtur, nec rumores, ad inuidiã tibi cõflandam, à quibusdam sparsi, mouebant. Nullum nobis tui

causa laborem grauem, nihil tibi tanto homini inuium putauimus, inuidiam autem virtute partam, gloriam non inuidiã iudicauimus. Neque de te plura dicam. etenim me tua pręsentia, vt finem faciã, cogit.

Explicaui rationes, propter quas ordines Polonię ac Lituaniæ, summum Imperium ad te mittendum existimarint. Deinceps quale hoc sit Regnum, quod ad te delatum est, explicabo. Neque ego nunc, quàm longè latéque pateat Polonia ac Lituania narrabo, nec regiones, populos in communionem iuris ac Reipub. ascitos, nec regna quondam nobilia, primùm in prouinciarum formam redacta, deinde ciuitate donata, enumerabo. Non referam rationes vectigalium, nihil agam de varietate fructuum, nihil de mira vbertate soli, ac copia rei frumentariæ, nihil de magnitudine pastionis, nihil de agris publicis, nihil de vrbanorum, oppidanorum, & agrestium ærariorum tributis. Non dicam de portoriis, non de multitudine mercium, & magna ex parte earum, quæ non tam ad luxum, quàm ad necessarium vitæ vsum pertineant, & earum, quibus vitam ducimus & sustentamur, quibúsque vicinæ prouinciæ carere non possunt. Non metiar longitudinem littoris maris Balthici, quod possidemus à finibus Pomeraniæ Stetinensis, ad fines vsque Sueciæ, & Moschouiæ: non æstimabo fluminum, non instituendorum nouorum portuum, ac emporiorũ oportunitates, non antiquorum commoditates. Non censebo ferri, plumbi, stanni, salis, quale vix vsquam alibi excinditur,

ditur, ac argenti, metalla. Quæ omnia & fructuosa sunt, & adhibito studio ac ingenio, fructuosiora esse possunt. Etenim à nobis, inter maxima orbis terrarum Imperia, ac inter bellicosissimas nationes, positis, adhuc ita hæc constitui non potuere, vt tanquam ager summa iam cura excultus, solertiam attenti, & naui patris familias non admittant. Verùm de his, inquam, non agam. Neque enim ij sumus, qui ægrè feramus, regis nostri vectigalia, in tanta rerum omnium copia, non respondere numero pecuniæ quorundam regum vectigalibus, qui numerandis pecuniis sibi opulentissimi ac beatissimi videntur, vtendis verò se minus beatos ac opulentos experiuntur: neque hanc commendationem regni nostri, apud te hominem ad laudem natum, tantum valere arbitramur, quantum illam, quod nullum regnum tantæ tuæ virtuti conuenientius, nulla prouincia, ad tantum lumen animi ingeniíque ostendendum, aptior & optabilior tibi obuenire potuit. Scio ego Reges, qui diuinæ potentiæ in terris sint administri, ad sustinendum tanti muneris onus, omnibus summarum rerum gerendarum adiumentis abundè instructos esse, omnésque virtutes penitùs animo complecti, ac iis alios anteire debere. Sed tamen quæ in iis maximè commendentur, & quæ præ cæteris emineant, post pietatem erga Deum, à quo omne quodcunque rectũ & laudabile est proficiscitur: hæ sunt, magnitudo animi, benignitas naturæ, munificentia, & earum, ac omnium actionum

moderatrix ſapientia. Etenim, quoniam cum Regibus à Deo poteſtas quodammodo cõmunicata eſt, quemadmodum diuinæ naturæ maieſtas, ac poteſtas, in eo à mortalibus maximè ſentitur, & cernitur, quod mente ac ratione omnia gubernans & diſpenſans ſapientiſſimè, vitæ hominum imprimis conſulat ac prouideat, & in omni rerum humanarum, ac totius mundi procuratione, ſummam potentiam ac vim numinis ſui declaret, ita in Regibus quoq; animum magna molientem, & audentem, ac pericula deſpicientem, pleno ore prædicamus, ſtudium benemerendi de hominibus, bonitatémque amamus, altitudinem mentis & conſilij ſuſpicimus. Hæc cùm ita ſe habeant, dico nullum regnum ad virtutes has planè regales declarandas, & exercendas accõmodatiùs te obtinere potuiſſe. Ac primũ, quod ad magni, ac elati animi vigorem, & ſtudiũ bellici decoris ſpectat, non deerit tibi apud nos iuſtorum ac piorum bellorum gerendorum materia, & facultas. Præfuiſti ſuperioribus bellis in Gallia militari imperio, inſignes victorias retuliſti. Verùm hæc bella, etſi neceſſaria, tamen quoniam cum iis, qui communione ortus ac ſanguinis, ac omnis humani iuris, & diuini, aliquando, coniuncti erant, pugnabatur, vtrique parti funeſta & luctuoſa extitêre. Habemus nos Chriſtiani nominis populorum, finitimam & continentem primùm imperij Germaniæ, deinde regni Bohemiæ partem. Attingimus etiam Sueciæ fines, extrema Liuonia, qua ad oſtia Naruæ fluminis vergit,

vergit, cętera mari ab ea ſeiuncti. Præter eas verò adiunctę nobis ſunt Pannonia vlterior, ac Tranſſyluania, ſociorum fideliſſimorum, quondam florentiſſimum regnum, nunc Turcorum armis infeſtum, ac magna ex parte ſubactum. Deinceps ſequũtur Moldaui, Othomanorum obnoxij, ac ſtipendiarij. Inde Bialogrodenſis ora, imperij quondam Moldauici pars, nunc Turcorum præfectura. Tum verò Tartarorum, ac Moſchorum, vaſtæ & immēſę ditiones. Itaque ſuppetent tibi, præter veteres noſtros ſocios, quibus-cum perpetuam amicitiam, & cupimus, & pollicemur nobis, hoſtes perfidia, ſuperſtitione, impietate, ab omni humanitatis, non modò religionis, communione iam olim interdicti, quibus-cum, piis omnibus hominibus, ac cæleſtibus quoque, fauentibus, manus conſeras, pœnas ab illis pro tot cladibus Reipub. Chriſtianæ allatis repoſcas, multa millia Chriſtianorum, vrbes, populos, prouincias, regna, ex illorum ſeruitute in libertatē aſſeras. Suppetent item bellorum cauſæ, cùm ij ſint, qui bellorum cauſas quærere, fidem ac iuſiurandum, prout res tempúſque poſtulauerit, & ſeruare, & negligere conſueuerint. Quid autem ego de viribus Poloniæ ac Lituaniæ dicam? O præclaram atque diuinam maiorum noſtrorum ſapientiam, qui regum noſtrorum diuitias, viris potiſſimùm armíſque, ac militarium hominum priuatis facultatibus contineri voluerunt! & cùm ſtudium rei bellicæ, tum omnibus imperiis, tum noſtro, cui iam inde ab initio communes Chri-

ſtianorum hoſtes aſſiduè imminerent, ſalutare & glorioſum putarēt, præcipuum in repub. hominum genus, Patriciorum nimirum, ad militandum legibus obſtrinxerint, intérque patricios neminem iure cooptari, niſi eum, qui bellicum aliquod inſigne facinus ediſſet, iudicarint. Itaque in Polonia & Lituania, patricij omnes, vt ſunt, ita milites appellātur. Hoc legibus ac inſtitutis noſtris eſt, Senatus, publicorum ſacerdotum, magiſtratuum, iudicum, ſeminarium: hi Reges, cum ſenatu, & aliquot ciuitatū legatis viritim creāt, ab his legati leges rogantur, hi honoribus ſunt ſemper ornati, horum oppida, agri, poſſeſſiones, iam inde longo interuallo, nulla ratione ærarij habita, immunes factæ, ac præterea à ſingulis regibus certatim auctæ ſunt. Quibus inſtitutis maiorum noſtrorū factum eſt, vt hoſtes noſtros pecunioſos imprimis, innumerabiles copias, lectiſſimorum militum, multo auro conductorum, aduerſus nos ducentes, ſæpè, primo impetu illorum eluſo & declinato, poſtquam illos pecunia deficiebat, ſine ſanguine propè & ſudore vinceremus. Etenim Poloniæ Rex, cùm bellum illatū propulſandū, finéſque defendendi ſunt, nulla impenſa facta, ſupra C. M. hominū armare, quòd ſi belli gloriā vltro ſibi quęrendā propoſuerit, omnibus patriciis, ſpem nominis illuſtrandi, & ad poſteri temporis memoriam propagandi, benéque de Rege, ac Repu. merendi, maioris quàm ſtipendia æſtimantibus, haud valde magno pecuniæ numero in ſtipendia collato, magnum exercitum

Nobiles.

conſcri-

conſcribere poteſt. At quorum militum? Primùm ſuorum, non alienorū: deinde ex eo genere ſuorum, quod eſt, flos Reip. ornamētum dignitatis. Qui non modò, cùm vis illata repellenda, verumetiam pro laude Imperij certandum eſt, ſciunt ſibi pro focis, pro coniugibus, pro liberis, pro maiorum imaginibus, próque ornamentis omnibus, quæ niſi exiſtimatione conſeruata retinere non poſſunt, dimicandum. Etenim infamia notati, qui vel in prælio timidè, vel domi turpiter egerint, commodis ac ornamētis Reipub. & ipſo ſolo patrio, omníque commercio ac ſocietate, etiā à propinquis, ac ipſis coniugibus, & liberis, indigni, more maiorū cenſentur: reis deniq; rerum capitalium, pro cuſtodia, pro carcere, pro vinculis, metus dedecoris eſt, mórſque ipſa leuior ignominia, ac turpitudine, exiſtimatur. Vnde, cum magno ſtupore hoſtium, inclinatas noſtrorum acies, ad ſolam mentionem decoris & honeſti, ſæpè conſtitiſſe, ac non modò multo maiores copias, verùm etiam ipſam locorū, ac propè fortunæ, quę ſibi maximam partem in præliis vindicare ſolet, iniquitatem, ſuperaſſe conſtat. Docuere patres maioréſque noſtri, tum alibi, tum ad Gruneualdum pagum, Germanorum Cataphractos, ac legiones firmiſſimas ac ſtabiliſſimas vinci poſſe: docuerunt equitatus Turcici nauitatem, ac Ianizerorum obſtinationem animorum haud inuictam eſſe, & antè, ad Macedoniæ fauces, aliiſque in locis, & poſteriùs SIGISMVNDO primo regnāte ad Rohatinū oppidum.

Docuere multis in præliis ſe Pannoniis, ac Bohemis virtute non impares eſſe. Moſchi verò, & Tartari, licet gentes ad bella natæ, quæ otio ac quiete frui neſciant, ſemper laudis noſtræ ſeges ac materia fuere. Proximũ Regem habuimus ingenio in primis acuto & ſolerti, & caritate ac meritis erga patriam inſignem, pacis tamen, quàm belli, artibus magis deditum. Itaque quòd occaſiones virtutis declarandæ, vel non dabantur, vel propter inſitam animo Regis cunctationem amittebantur, videmur ſplendori, & magnitudini earum rerum, quas maiores noſtri geſſerunt, non reſpondiſſe. Vigebat tamen, vigétque ſtirpi illorum innatum decoris ac laudis ſtudium, animorúmque robur. Nam, & quando poteſtas pugnandi à Rege permittebatur, noſtri, licet impares numero, nunquam niſi re bene geſta ex pugna reuertêre, & plærique, otij domeſtici pertæſi, foris ſibi materiam bellandi, ac laudis parandæ, quæſiuêre. Quid enim in Neuelenſi illo cum Moſchis prælio, omnibus ſæculis memorando, quid pòſt in pugna, cum iiſdem ad Vlam flumen, ac item in conflictu cum copiis Errici, tum Suecorum regis, ad rus Morimum, qui Polonorum & Lituanorum militum animi fuere? quis ardor? quis vulnerum, mortíſque contemptus? Quæ in expugnanda primùm Tauro in Liuonia, deinde Iſborco in Moſchouia, pòſt Vla in finibus Lituaniæ, à Ioanne Moſchorum Duce, excitata arce, alacritas? quæ mentes? qui ſenſus? Qua cupiditate? quo impetu, ſæpè ſumptis ſponte ar-

mis, Tartaros fines nostros inuadentes, aut repulerunt, aut vlti sunt? Quid, anno superiore, pauci nostri, cùm Bogdanum, ad Moldauiæ, quæ ab illo, in Russiam profecto, desciuit, Regnum reducerent, quantam molem exercitus Turcorum, & Moldauorum sustinuere? quantam stragem in hostium exercitu fecere? Infinitum esset singula nostrorum militum superioribus temporibus fortia facta recensere, ex quibus appareat in Polonis Lituanísque non esse extinctam maiorum virtutem. Quare huiusmodi milites, HENRICE Princeps, tantas copias, háncque materiam bellorum nactus es. Prætereà verò bellicorum equorum multitudinem, commeatus facilitatem, materiæ naualis infinitam vim, omniúmque commodorum ad bella instruenda & gerenda, atque ad extruendas & ornandas classes summas facultates, habebis. Exercendæ autem humanitatis & altitudinis animi, quæ dicitur, vbi ratio tutior est, quàm apud illos, qui rectè facere, etsi malo coacti non sint, sciant, ac impetu naturæ ad honestatem ferantur? Qui etsi liberi sint, & seruitutem ferre nequeant, nomen tamen regale magnum & sanctum existiment. Qui ipsi domi omnis mansuetudinis & facilitatis, foris hospitalitatis commendatione floreant, in quibus nihil simulatum, nihil fictum reperiatur. Qui diuitias, potentiam, honores, legum ac disciplinæ veteris tuendæ, Reip. conseruãdæ & augẽdæ, Regúmque demerendorum, non arrogantiæ, insolentiæ, pertinaciæ, in-

ſtrumenta eſſe norint. Qui fidem Regibus datam ſemper ſanctè ac religioſè conſeruarint, caritatem non modò erga Reges ipſos, ſed erga regiã quoque ſobolem, illius commodis & ornamentis diligenter conſulendo, demonſtrarint. Manſuetudinis quidem, & moderationis animorum in hominibus noſtris, vel hoc euidens argumentum eſt, quòd, cùm à morte Regis ſilerent leges, magiſtratuum poteſtas eſſet cõſtricta, obmutuiſſent fora, non modò nullus motus, quod vix, in huius ſęculi ambitione, & auaritia, fieri poſſe videbatur, in Rep. extitit, verumetiã inimicitiæ, ob priuatas controuerſias antè ſuſceptæ, Reipub. donatæ ſunt, iuſticiũ non modò ſublatum, verumetiam in eos qui iniurias inferrent, grauiores pœnæ & ſupplicia maiora conſtituta ſunt, domi pax firmata, omnibus malis artibus conciliandi, quærendíque Regni via præcluſa eſt. Atque illud præterea non minus euidens, quòd, in tanta ciuium dignitate ac præſtantia, nemo repertus ſit, qui ſummę rerum præeſſe, quàm cum omnibus eodem iure viuere mallet. His autem ex rebus & illud facilè perſpicis, nullam gentem, nullos homines inueniri, apud quos rectiùs beneficia Reges collocent, qui & viuos omni officio ac pietate, & mortuorum memoriam gratiſſimis animis proſequantur. Quibus verò Regibus, tantæ taléſque, vt noſtris, ad beneficentiam liberalitatémque ſuppetunt copiæ, quæ licet Reges in dies multa ſuis tribuant, nunquam tamen exhauriri queant. Mihi quidem inter alia pręclara, &

diuinitùs

diuinitùs comparata, Reipub. nostræ instituta, hoc eam, noménque nostrum auxisse videtur, quòd inde à principio à maioribus nostris ita fundata, & cõstituta est, vt ab iis non tam suæ posteritati, quàm posteritatis virtuti, opes & ornamenta pararentur. Propterea cùm omnia Regni vectigalia ita diuisissent, vt alia priuati, alia publici iuris essent, publicorum partem Regi ac Reipub. despõderunt: multo maiorem verò excitandæ ac ornandæ ciuium industriæ reliquerunt, eáque honoribus ac magistratibus adiunxerunt, qui vt Regia ipsa dignitas, non est alicui familiæ addicta, ita non paucarum, sed quarumuis patriciarum familiarum hominibus paterent, quorum ingenij ac virtutis vis, & merita in Rempu. elucerent. Longum esset omnia commoda & ornamenta hæc enumerare, omnes Pontificatus, omniáque sacerdotia, omnes regionum, ac forum Principatus, quos Palatinatus, & Castellanatus vocant, omnes magistratus Regni, ac Regiæ, omnes Præfecturas, ac omnes honores singularum regionum, ac forum peculiares, omniáque munera. Ita cùm in dies multi ex tenui fortuna, sola virtute nixi, ad amplissimum quenque ciuitatis gradum perueniant, summásque opes consequantur, fit vt, tot tantísque præmiis propositis, non desit copia prudentissimorum & patriæ amantissimorum ciuium, qui non dubitent se, & salutem suam, pro statu Reipub. & dignitate, ac amplitudine Imperij, in discrimen offerre, & quoniam virtutis & meritorum erga patriam

Episcopatus. Palatinatus. Castellánatus. Officia Regni. Officia Curiæ. Capitaneatus. Officia & dignitates singulorum Palatinatuum, & singularis terrarum.

æstimator,& césor,ac horum, quę dixi, præmiorum dispensator,legibus ac institutis nostris,Rex est,cùm ea innumera sint, quod tribuat quotidie alicui,nunquam deest. Iam verò dignam & conuenientem ingenio tuo excellenti, ac prudentia singulari, materiam,quam tractes, & in qua versere, nactus es. Quæ quanta sit in tam longè latéque patenti Regno, ea varietate ciuium, ac tot nationibus, quæ, vt à communione Reipub. recedas, vix quidquam simile inter se habeant, diuersis linguis vtantur, diuersis legibus ac moribus regantur, constante, atque tot gentibus, & magna ex parte ferocissimis, continente, & proximo, facilè intelligis. Fateor sanè sic à maioribus nostris compositam & informatam esse Rempub. nostram, vt multa Regibus, ad superandam summi muneris, negotiorum molem, adiumenta constituerent. Etenim,cùm duo hominum genera in Polonia essent, vnum plebeiorum, alterum patriciorum: cúmque plebeios arationi,pastioni, omníque rustico operi, artificiis quibusuis,ac mercaturæ operam dare voluissent,& vt iis rebus vacarent, onere militiæ leuassent, leges etiam de priuato iure, quibus Germaniæ populi, quibuscum maxima commercia habent,vterentur, vrbanis & oppidanis permisissent,patricios verò,vt suprà dixi,ad militiam,& Reip.procurationem destinassent, quod necesse fuit, ob tantam patriciorum multitudinem, ac remotissima & seiunctissima, maxima ex parte,eorum domicilia,pristinum primùm regnum, deinde

Plebeij. Rustici. Artifices. Mercatores.

Oppidani.

Nobiles.

deinde omnia quæcunque vel in ciuitatem aſcita, vel bello deuicta acceſſere, in regiones, ac ipſas regiones in fora diſtinxerunt, ex quibus belli pacíſque munia obirentur. Itaque & per regiones militatur, & qualibet in regione aliquot in foris ius redditur, ac quæuis regio, ſua concilia, ſuóſque magiſtratus, ac imaginem quandam quaſi Reip. habet. In his conciliis Rex, ſi quid de Rep. noui, vel de bello ſtatuendum eſt, abſens per literas, & nuntios promulgat: inde legati cum mandatis, in cõmuni totius Poloniæ & Lituaniæ cõcilio, leges, quæ à Regibus ferãtur, aut iubent, aut antiquant. Ac prætereà Regi adiunctum eſt Senatus conſilium ſempiternũ, quod ex magiſtratibus pręcipuis, regionum, & forum principibus, pontificibúſque, hoc eſt primariis viris, inter quos omnes Imperij partes ac regiones ſapientia & auctoritate regẽdę, potiſſimáque Reip. munera procuranda, diſtributa ſunt, conſtat. Hunc Senatum Rex, ſi quid ad patricios ferẽdum, vel prout tempus & res inciderit, maturandum eſt, conſulit, cum hoc de criminibus publicis decernit, & de controuerſiis priuatis omnium, à quibus eſſet appellatus, adhuc decernebat. Itaque Rex noſter, cùm omnia ad præſcriptum legum reuocanda, & quidquid in Rep. ſuſcipiendum & agendum ſit, ex auctoritate patrum conſcriptorum ſuſcipiat & agat, multis partibus faciliorem, & expeditiorẽ adminiſtrationem regni habet. Verumtamen cùm vtrique ordini dux & auctor, ac ſummi conſilii moderator eſſe debeat, ma-

Palatinatus. *Diſtrictus.*

Comitia particularia.

Comitia generalia.

Officiales Regni.

Palatini & Caſtellani. Epiſcopi.

gno illum ingenio, magna ſolertia præditum, ac omnes leges, omnia inſtituta, ſcientia comprehenſa tenere opus eſt, ſingulorum regni populorum ius, conditionẽ, mores noſſe, in fœderibus eſſe verſatũ, tenere exempla maiorum. Quæ cognitio cùm varia & multiplex ſit, tum verò illud non paruæ prudentiæ videtur, perſpicere ſingulorum hominum ingenia, vt diſcernat qui ad neceſſarias apparitiones adhibendi, qui in ſenatum legendi, quibus ſacerdotia, honores, imperia, magiſtratus mandandi ſint: in quo primũ exiſtimatio Regis, deinde Reip. ſalus agitur, vt Rex fideles & peritos cõſultores, adiutores negotiorum publicorũ, & miniſtros Imperij ſibi aſciſcat. Cùm verò Reſp. quoque noſtra ſenſerit incommodum diſſenſionis de religione, quod plęræque Chriſtianæ prouinciæ, ad quas hæc opinionum de Deo eiúſque cultu diuerſitas permanauit, ſenſêre, magni erit iudicij, magníque conſilij prouidere, ne quid violenter agatur, néve ad diſcordias & bellum ciuile deueniatur, quod aliis Regnis nuper plurimum detrimenti attulit, noſtro, Barbaris in omnem occaſionem opprimẽdi noſtri intẽtis, exitium ſtatim afferret. Adhæc, multa necdum inchoata in Repub. deſiderantur, multa, vt res humanæ ſunt caducæ, & inconſtantes, dilapſa fluxerunt, quæ ratione & conſilio conſtringenda, conſtituenda iudicia, plurimáque alia præſidia firmitatis Imperij reſtituenda, & de nouo comparanda ſunt. His in omnibus tum cognoſcendis, tum efficiendis, mentis tuæ

tis tuæ acumen & industria occupabitur. Quibus quidem verissimis laudibus, satis tibi, & regia in domo nato, & regiis virtutibus ornato Principi, commendatum Regnum nostrum, vel potius iam tuum, arbitror.

QVID autem patria nostra à te expectet, quid de te sibi polliceatur, patere quæso me illius oratione exponere: quam tecum sic agere, & quodammodo loqui tacitam, existimato. Magnum onus Regiæ dignitatis esse sentis, HENRICE, etiamsi hæreditate, ac maiorum meritis obuenerit: multo tamen maius & grauius, cùm iudicio eorum, qui parere debeant, delatum est. Itaque, vt gloriosius fuerit, tibi non in cunabulis desponsum, sed in campo, tot virorum liberis animis affectorum, alienorũ, ac nulla ex parte obnoxiorũ, suffragiis, Regnum datum esse: ita eo plus, te inuigilare ac elaborare oportere cernis, vt efficias ne eos, qui te delegerũt, iudicio lapsos esse appareat. Gessisti res magnas, verùm eam prouinciam nunc tibi oblatam vides, vt multo maiora, iis quæ gesseris, & mihi, & Reip. Christianæ à te debeantur. Omnium, orbis terrarum, gentium animos expectatione commouisti. Qui honori tuo fauent, te illum fore augurantur, qui non modò meis ciuibus bellicam existimationem, quæ vitio superiorum temporum iacuit, restituas, & iniurias mihi à barbaris illatas vlciscare, verumetiam adflictam rem Christianorum erigas & excites: Qui inuident tibi, nihil magis cupiunt, quàm vt laudi & glo-

riæ seruire desinas. Cara tibi Gallia est, quòd te genuit, quòd educauit: multis quoque nominibus tibi tuæque familiæ Gallia obstricta est, quòd à vobis sæpè adiuta, & defensa in periculis, assiduè verò summo studio exculta, & ornata est. Ego te nullis tuis, tuorúmque meritis, prouocata, ad summum honorem extuli. Itaque cùm, sapientissimorum hominum iudicio, plus tribuendum sit amori patriæ illius, quæ excepit, quàm eius quæ genuit, confido me tibi fore carissimam, quæ te vltro aduocauerim, & regia dignitate decorauerim. Cùm te habebo, reddita mihi omnia, quæ in superioribus Regibus elucebant, videbuntur. Elatio animi, ac robur, & felicitas BOLESLAORVM: constantia in rebus aduersis VLADISLAI LOCTICONIS: moderatio in secundis VLADISLAI IAGELLONIS: magnificentia, ac iustitia, CASIMIRI MAGNI: grauitas & sapiẽtia SIGISMVNDI: lenitas & mansuetudo AVGVSTI. Itaq; modò me beneuolentia complectare, ęquius illorum desiderium feram. Eam declarasti naturæ tuæ bonitatẽ, vt ipsa per se impultrice, etiamsi nulla iureiurãdi, quod legatis meis à te datum est, religione obstricta foret, ea quę mihi promisisti, te non tantùm repræsentaturũ, sed cumulatiora redditurum, ac deinceps omnem operã, omne studium, ac omnia consilia ad vtilitatem & dignitatem meam relaturum confidam. Hac spe freta tibi Remp. bona, fortunas, iura, libertatémque meorum committo ac commendo: libertatem, inquam, meorum,

rum, quæ illis vita potior & optabilior est, tibi committo & commendo: ac quòd eius, non secus ac tuæ, curam habebis, pro re certa statuo. Qua firmissima spe, si, quod omen auertat Deus, decidero, ô me non modò miseram, sed & stultam, quòd non tam misericordia, quàm reprehensione multorum, quos tibi posthabui, digna videbor. Si his quæ à te expecto fruar, non modò me beatam, verùm te quoque beatum, qui in summa ciuium caritate, pulcherrimorum factorum conscientia, cùm certissima spe immortalis memoriæ perfruêre, & cuius familiæ ac posteritatis dominationem, non modò mei, verumetiam aliorum Imperiorum populi deinceps certatim deposcent. Hæc tecum ipsa patria nostra.

Nos verò omnium regnorum conditorem, conseruatorem, ac præsidem summum, qui Regum omnium mentes nutu suo regit, precamur, veneramur & imploramus, vt quemadmodum nostrorum hominum corda spiritu suo afflauit, vt te omnes summo consensu Regem dicerent, ita tua omnia consilia atque facta, ad sui nominis laudem, & salutem, ac cõmoda nostra dirigat, & te, ac Regnũ nostrum, quod pulcherrimum & florentissimum adhuc esse voluit, tueatur ac defendat. Quamobrem vt iam mandata exequamur, vt te populorum Poloniæ, Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kiouiæ, Voliniæ, Podlachiæ, Liuonię, Senatus, Patricij, & ciuitates, quæ suffragij lationem habent, Regem legibus ac institutis maiorum creauêre: ita

nos quoque hîc te omnium eorum populorum Regem, quod tibi magiſtratuiq́ue tuo, ac nobis, & Reip. noſtræ fauſtè, feliciter, atque proſperè eueniat, renunciamus, rogationíſque de Imperio tuo iuſſæ, publicas tabulas tibi reddimus, & tui, more maiorum, inaugurandi diem ante V I. Non. Octobr. in comitiis dictam denunciamus, atque vt in Poloniam quamprimùm proficiſcare, te vehemēter oramus. Quæ inſtent regno noſtro procellæ, quæ tempeſtates, & ſi nos taceamus, res ipſa loquitur. Hæ ſolo aduentu tuo depelli poſſunt. Omnium animi ſunt intenti in aduētum tuum. Iam cogitatione præcipio, eius diei gratulationem ac incredibilem noſtrorum lętitiã, qua te ornatum Regiis inſignibus in ſolio regali, tanquam de cælo delapſum, diuinum hominem intuebuntur. Noli igitur deeſſe, Rex potentiſſime, amantiſſimo & cupidiſſimo tui Regno, noli differre gaudium tuorum, matura iter eò, quò te diuina voluntas, occulta fatorum lege, quò te virtus tua, quò fauor hominum vocat. Opera, ſtudio, fide, ac diligentia, vt Pater Reipub. noſtræ dicare, effecturus, & nunciis Chriſtianis populis lætiſſimis orbem terrarum breui impleturus, ac nobiliſſimos triumphos, de noſtris, ac Reipub. Chriſtianæ deuictis hoſtibus, inſtructurus.

FINIS.

CORRIGENDA.

Folio 2. b. versu primo, benemeritorum, lege bene meritorum.
Folio 4. b. versu 15. lege à Bohemis, non, cum Bohemis.
Folio 13. b. versu 16. lege, ex pugna reuertêre.


ΕΑΝ
ΔΕΝΔΡΟΝ
ΑΓΑΘΟΝ
ΚΑΡΠΟΥΣ
ΚΑΛΟΥΣ
ΠΟΙΕΙ

[illegible]